In nomine domini. Amen. Ea que fiunt in tempore ne simul cum lapsu temporis evanescant, necesse est ut testium venditorum et emptorum patrocinio roborentur.
Nos igitur Albertus dei gratia prepositus, Nicolaus decanus et ceteri canonici ecclesie Budissine tenore presencium recognoscimus, quod discretus vir dominus Johannes
sacerdos dictus Pax ob salutem et remedium animarum suorum parentum, filius Hermanni Steynbrecher et uxoris sue Peyzan, et principaliter suorum peccaminum
ecclesie nostre predicte in villa Gnomicz unam marcam cum v grossis census et in villa Deysin apud sculte(t)um Johannem unam dimidiam marcam annue
pensionis ad reempcionem iuste emptoris et venditoris interveniente tytulo comparavit. Et si idem Johannes sculte(tus) de Deysin reemerit censum annuorum marcis sive
sui successores reemerint, tunc nos et nostri successores annuorum marcis alium censum loco illius census predicti debebimus et tenebimur comparare. Taliter quod sibi
dominus decanus qui pro tempore fuerit singulis annis in die beatorum apostolorum Philippi et Jacobi prima medietate unam dimidiam marcam cum tribus dimidiis grossis
et viii sol. grossorum, secunda vero medietate in die Michahelis similiter unam dimidiam marcam cum tribus dimidiis grossis et viii sol. grossorum Pragensium
ad tempora vite sue presentabit pro solucione census ad hoc specialiter deputatis. Postquam vero predictus dominus Johannes dictus Pax de hoc mundo migraverit,
procurata de una lampade predicto census ardere(?) singulis diebus et singulis noctibus coram altari sancti Georgii per decanum nostre ecclesie qui pro tempore fuerit
debeat in perpetuum accendi. De residuo vero sacerdoti officianti in altari sanctorum Petri et Pauli apostolorum iiii^or hallenses et viii hallenses scolari debet singulis
septimanis quartis feriis ministranti et campanatori xxiiii^or hallenses ministrent. Insuper predictus dominus Johannes dictus Pax comparavit iii sol. grossorum cum
vi grossis apud Gregorium Tydhener in Conradisdorf, quem censum dominus Johannes prefatus debet ad tempora vite sue. Postquam vero dominus Johannes debitum nature
persolverit, tunc pro tribus sol. grossorum unam anthiphonam videlicet O pastor eterne singulis tercijs feriis cum duabus candelis ardentibus tenebimur cum nostris
successoribus perpetue cantare et unam missam singulis quartis feriis, prout quarta missa est servanda, et vi simplices grossos assignabit lampadi ardenti sicud
superius est expressum. Omnem predictum censum dominus decanus qui pro tempore fuerit percipiet ministrando sicut superius est expressum. Omnia predicta
providentibus viris magistro civium, consulibus et iuratis et quatuor personis lanificis et quatuor personis sutoribus et quatuor carnificibus regentibus
ac eorum successoribus ac singulis dictum opus lanificum ac sutorum et carnificum exercentibus civitatis Budissin qui pro tempore fuerint, a nobis et a nostris
successoribus promittimus bona fide inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium sigilla nostra videlicet capituli, prepositi, decani sunt appensa.
Datum et actum Budissin anno domini M° CCC° LX° in die kathedre sancti Petri.